

* * * * *

I N F E S T O
BEATISSIMI PATRIS FRANCISCI
C O N C I O P R I M A ,

IN QUA, POST EVANGELICÆ LECTIONIS explanationem, de evangelica paupertate, in qua beatissimus pater miro modo emicuit, differitur: ubi etiam multiplices ejus fructus enumerantur.

THE. Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam, & novi scientiam sanctorum. Prov. XXX. 2. 3.

*** HEC Salomonis sententia, fratres, quæ multis velut paradoxæ & mirabilis videbitur, quamvis sanctis omnibus accommodari merito possit; qui omnes, juxta Apostoli consilium, (a) stulti facti sunt, ut fierent sapientes: tamen ad beatissimum Franciscum singulari quadam ratione pertinere videtur; cum ob alia multa, tum præcipue quod paupertatem, & rerum omnium indigentiam, quam terrena prudentia per mare, per terras, per inhospita saxa, per ignes

omni ratione fugit, summo is amore, tamquam amantissimam sponfam, mundo ridente atque iridente amplexus est. Hæc enim in eo præcipue virtus emicuit. Quamvis enim sancti omnes cunctarum virtutum ornamentis exculti fuerint, in aliis tamen aliæ laudantur. In aliis quippe fides, in aliis caritas, in aliis humilitas, in aliis obedientia, in aliis patientia præcipue elucet. Hæc enim de causa in sanctorum confessorum festis illa ecclesiæ versiculum repetit: (b) *non est inventus similis illi, qui con-*

(a) 1. Corinth. 3. 18. (b) Eccli. 44. 20.

servaret legem excelsi. At in beatissimo Francisco quum omnes inter se virtutes certare quodam modo videantur, quod unaquæque principatum suo sibi jure vindicare contendat; evangelica tamen nuditas atque paupertas mirabiliter in eo eminet. Quocirca de ea nunc mihi sermo habendus est, & multiplex ejus fructus, a sæculi prudentibus incognitus, enumerandus. Sic tamen de hac virtute agam, ut eam præcipuum instrumentum esse ad veram sapientiam, parvulis a Christo Domino revelatam, de qua hodierna sancti evangelii lectio differit, apertissima ratione ostendam. Hanc autem sapientiam vir beatus in propositis a me verbis se assequutum esse ait; quum se non quidem hominum sapientiam, sed sanctorum scientiam habere testatur. Prius tamen quam hæc attingam, eadem sacra lectio a nobis explananda est. Ut hoc autem argumentum utiliter ac religiose tractare possimus, cælestem operam, sacratissimæ Virginis interventu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Lectio sancti evangelii, di-

lectissimi, flagrantissimam Salvatoris nostri erga genus hominum caritatem maxime declarat; quando & mortales omnes ad bonorum suorum communionem amantissimis verbis invitatur, & pro beneficiis eisdem collatis æterno Patri gratias agit. Sic enim ait: (a) *confiteor tibi, Domine, pater cali & terra, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Ut autem hujus confessionis causam audiatis, scire oportet, hoc ipso tempore Christi Domini discipulos a prædicationis officio, ad quod eos ipse miserat, lætos atque alacres rediisse, quod illis prospere legationis suæ munus cessisset. At Salvator, qui Patris sui gloriam, & humani generis salutem, omni tempore in peccatore suo versabat, in hac singulari discipulorum legatione, gentium conversionem, ipsorum opera perficiendam, contemplans, cælesti Patri pro hac mirabili dispensatione & benignitate gratias agit: quod videlicet paucorum & rudium piscatorum opera mundum esset ad veram salutem & veritatis cognitionem allaturus. Itaque mirabili exultatione &

(a) Matth. 11. 25.

alacritate plenus, ait: *confiteor tibi, Domine, pater cali & terra, &c.* Est peccatorum confessio, est & confessio laudis; qualis hæc fuit, in qua filius immensam cælestis Patris bonitatem & providentiam laudat, quod salutis humanæ mysteria parvulis revelare dignatus fuerit. Erant eo tempore Pharisæi religionis opinione insignes, erant scribæ & legis doctores, erant principes & nobiles viri; nec tamen hos elegit Dominus, quibus evangelicæ prædicationis officium delegaret, sed rudes & ignobiles piscatores. Cur ita? Subdit causam: *ita Pater; quoniam sic fuit placitum ante te.* Hæc est vera & certissima hujus tam admirandæ electionis causa: divina siquidem voluntas est prima veritatis & justitiæ regula, per quam omnia dijudicanda sunt. Neque christianus homo fide subnixus potiorē aliam rerum omnium causam quærere debet. Verum quoniam regius vates beatos eos pronuntiat, qui divinorum consiliorum causas & rationes pie & religiose perscrutantur; nobis quoque liberum erit, paullulum in hac Domini lectione philosophari, & ejus sive cau-

sas, sive convenientias inquirere.

Principio igitur quum omnia propter semetipsum Dominus, hoc est, propter nominis sui gloriam, operetur; hujusmodi electio tanto magis ejus gloriam atque omnipotentiam illustrat, quanto infirmiora instrumenta erant, per quæ is res adeo magnas felicissime gessit. Hinc apostolus: (a) *habemus, inquit, thesaurum hunc in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis*; hoc est, ut infirmitas vasculi facile declaret, hæc tam magnifica opera nequaquam infirmo vasculo, sed divinæ virtuti esse adscribenda. Quam rem beatissimi patris Francisci exemplo comprobare licet; quem Dominus litterarum rudem & imperitum, & qui adolescentiam omnem in procuranda patris mercatura exercuerat, celeberrimi & latissimi atque sanctissimi ordinis auctorem & principem esse voluit. Quo enim persona abjectior & humilior, hoc ipso Dei gloria & potentia clarior. Quod quidem Dominus ipse declaravit, qui beatum virum, de regulæ suæ observatione sollicitum, blande atque leniter

(a) 2. Corinth. 4. 7.

ter consolatus, se ejus ordinis atque instituti auctorem esse professus est, sibi que curæ esse, illum tueri atque servare. Ideo enim, inquit, te rudem & litterarum expertem delegi, ut aperte homines intelligerent, non te, sed me, hujus instituti principem & auctorem esse.

Est & alia causa, cur Dominus indigniores & viliores interdum homines ad gratiæ suæ communionem eligat, ut hac ratione tanto magis bonitatis & misericordiæ suæ opes explicet, quanto personæ, quæ eliguntur, ea electionis gratia indigniores erant. Hoc enim nomine Apostolus (a) Dei justitiam & gloriam iniquitate nostra commendari ait: quandoquidem in hoc opere nihil humanæ dignitati, sed totum divinæ tribuitur misericordiæ. Et hanc quidem causam idem Apostolus, divinorum arcanorum interpret, assignat, quum ait: (b) *videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia, &c. ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus*; hoc est, ut nemo vel sapientiæ suæ, vel

nobilitati, vel potentiæ hanc vocationis gratiam adscribat, nihilque habeat homo, cur in se gloriari possit.

A quo periculo magnus ille legislator Moses commissum sibi populum avocat, quum percepta beneficia non ad propria merita, sed ad solam Domini sui benignitatem & gratiam, revocare docet his verbis: (c) „scies ergo hodie, quod Dominus Deus tuus transibit, ante te, ignis devorans atque consumens, qui conterat omnes hostes tuos, sicut locutus est tibi. Ne dicas in corde tuo, quum deleverit eos Dominus: propter justitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc possiderem, quum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes. „ Et mox eandem sententiam reperit hoc modo: (d) „scito ergo, quod non propter justitias tuas dederit tibi Dominus Deus tuus terram hanc optimam, in possessionem, quum durissima cervicis sis populus. „ Deinde, ut eidem populo gloriandi materiam adimat, solamque Dei gloriam & gratiam constituat, ejusdem populi impietates atque scelera

H

lon-

(a) Rom. 3. 5. (b) 1. Corinth. 1. 26. (c) Deut. 9. 3. 4. (d) Vers. 6.

longa oratione explicat his verbis: (a) ,, memento, & ne obli-
 ,, viscaris, quo modo ad iracun-
 ,, diam provocaveris Dominum
 ,, Deum tuum in solitudine, &
 ,, ex eo die, quo egressus es ab
 ,, Aegypto usque ad locum hunc,
 ,, semper adversus Dominum
 ,, contendisti. ,, Quid igitur ex
 hac philosophia sequitur? Ni-
 mirum ut quicumque divinis
 beneficiis ornati estis, & ad e-
 jus fortasse gratiam & amici-
 riam vocati, totum hoc illi tri-
 buatis. Sic enim fiet, ut intra
 vos quidem humiles, erga il-
 lum vero grati & officiosi sitis,
 propheticum illud corde atque
 voce clamantes: (b) *non nobis,
 Domine, non nobis, sed nomini
 tuo da gloriam.* Subdit deinde
 Salvator.

*Omnia mihi tradita sunt a pa-
 tre meo. Et nemo novit filium ni-
 si pater: neque patrem quis no-
 vit, nisi filius, & cui voluerit
 filius revelare.* His verbis Do-
 minus, qua in re sita sit summa
 illa sapientia, quam pater par-
 vulis revelavit, aperte decla-
 rat; nempe in patris & filii co-
 gnitione, de qua is alibi dixe-
 rat: (c) *haec est autem vita aeter-
 na, ut cognoscant te solum ve-
 rum Deum, & quem misisti Je-*

(a) *Verf. 6. 7.* (b) *Psal. 113. 9.* (c) *Joan. 17. 3.* (d) *Genes. 47. 25.*
 (e) *Ephes. 4. 8.* (f) *Matth. 11. 28.*

sum Christum. In hujus enim
 veritatis cognitione inchoata
 felicitas in hac vita, & con-
 summata est in patria. In cujus
 autem facultate positum sit, ho-
 mines felicitatis hujus compo-
 tes facere, declarat, quum sibi
 a patre commissam esse docet,
 eam aliis communicare. Ut e-
 nim olim (d) Pharaon in Aegy-
 pro frumenti distributionem Jo-
 sepho contulit; ita pater caele-
 stis omnes gratiarum suarum
 thesauros filio suo dispensan-
 dos commisit, unde est illud:
 (e) *ascendens in altum captivam
 duxit captivitatem, dedit dona
 hominibus.*

Sed numquid dispensator hic
 caelestium gratiarum difficilem
 se in eis impertiendis exhibe-
 bit? Minime vero: tantum enim
 abest, ut hac in re difficilis &
 inexorabilis sit, ut ipse aman-
 tissimis his vocibus mortales
 cunctos ad se vocet: (f) *venite ad
 me omnes qui laboratis, & one-
 rati estis, & ego reficiam vos:*
 hoc est, ego mentes vestras ste-
 riles, jejunas, aridas, sitibun-
 das, & verae felicitatis egentes,
 spiritualibus dapibus atque de-
 litiis reficiam & satiabo; viam-
 que vobis ad felicitatem, quam
 cupitis, demonstrabo: quae non
 alia,

alia, quam divinatorum manda-
 torum obedientia est. (a) *Tollite
 ergo jugum meum super vos, &
 discite a me, quia mitis sum, &
 humilis corde, & invenietis re-
 quietem,* hoc est, veram pacem
 & tranquillitatem, *animabus
 vestris.* Haec enim pax, quae ex-
 superat omnem sensum, indivi-
 duus justitiae atque obedientiae
 comes est. Ideo enim propheta
 (b) justitiam & pacem sibi ob-
 viaffe, seque osculatas fuisse
 ait; ut intelligeremus, neque
 sine justitia pacem, neque ju-
 stitiam sine pace comite inveni-
 ri posse.

Ne vero quisquam, quum ju-
 gum audit, grave onus & im-
 portabile intelligat, subdit pro-
 tinus: (c) *jugum enim meum sua-
 ve est, & onus meum leve.* Sed in-
 stabit aliquis: quonam modo ju-
 gum hoc suave esse poterit,
 quum tota carnis & mundi mi-
 litia adversus illud armata pu-
 gnet; praesertim quum Aposto-
 lus dicat, (d) per multas tribu-
 lationes oportere nos intrare in
 regnum caelorum? Ad hoc igitur
 respondemus, multa esse,
 quae hoc divinae legis jugum at-
 que onus levent. Sunt enim cae-
 lestes virtutum habitus, sunt
 mira divini spiritus delitiae, est
 spes futurae retributionis, est fi-

des, quae spem ipsam roborat
 atque confirmat, utpote quam
 Apostolus (e) *sperandarum re-
 rum substantiam,* hoc est, fun-
 damentum, esse dicat, quum
 spei futura atque invisibilia
 bona certissime proponat: est
 postremo caritas, cujus tanta
 vis est, ut quum ea fervet in
 corde, non modo divinae legis
 jugum, sed mortem etiam, quae
 extremum terribilium esse dici-
 tur, suavissimam, maximeque
 desiderabilem faciat. Quam rem
 vel unius beatissimi Francisci
 exemplo comprobare licet, qui,
 flagrantissimo Christi amore in-
 census, nihil magis optabat,
 quam pro eo vitam & sangui-
 nem fundere, ut suo loco refe-
 remus. Haec de evangelica
 lectione: nunc verba thematis
 expendamus.

Tractatio thematis.

§. I.

Quemadmodum, testante Do-
 mino Salvatore, (f) *in domo pa-
 tris sui mansiones multae sunt,* ita
 varii sunt in hac vita merito-
 rum gradus, quibus ad eas man-
 siones pervenitur. Omnes ta-
 men ad duo praecipue capita re-
 vocantur. Quidam enim, sola
 divinatorum mandatorum obser-
 vatione contenti, caelestis re-
 gni praemium obedientiae suae

H 2

me-

(a) *Matth. 11. 29.* (b) *Psal. 84. 11.* (c) *Verf. 30.* (d) *Act. 14. 21.*
 (e) *Hebraeor. 11. 1.* (f) *Joan. 14. 2.*

merito præstolantur. Alii vero, non sola divinæ legis præcepta, sed evangelica etiam consilia amplectentes, ad evangelicæ vitæ perfectionem tota animi devotione festinant; nec aliud in vita moliuntur, quam ut ejus compotes fiant. Hæc autem duo hominum genera duobus sacrificiorum generibus in lege olim adumbrata sunt. Erat enim commune sacrificium pacificorum, (a) in quo quædam animalis portio, hoc est, omnis adeps, & quidquid pinguedinis intrinsecus erat, duoque renunculi cum ipso adipe, quo teguntur illa, incendebantur, atque adolebantur Domino. Erat & holocaustum, (b) in quo totum animal integrum Domino incendebatur, nulla prorsus ejus parte relicta, quæ non adoleretur. Per illud igitur commune sacrificium, quo interna illa animalis portio immolabatur, eos fideles accipimus, qui Deum tota mentis intentione atque affectu diligentes, ejus leges & præcepta, pura & casta religione servare contendunt. At per holocaustum, quod totum igne incendebatur & adolebatur, eos intelligimus, qui omnibus mundi curis atque negotiis, nisi quantum arctissima necessitas

exigit, valefacientes, se totos libero atque expedito animo divinarum rerum studio, amori & contemplationi dediderunt. Quod unum sanctorum studium fuit, qui se ipsos in plenissimum holocaustum mactare atque offerre Domino suo studuerunt.

Non tamen hoc vitæ genus ad omnes pertinet, sed ad eos, qui se jam in activæ vitæ studio exercuerunt, quique affectibus & cupiditatibus suis, per mortificationis studium, frena imponere. Non desunt tamen in ecclesia multi, qui se huic religioso studio tota animi devotione addixerunt. Sunt enim multi monachi, multæ sanctimonialia, multæ honestissimæ viduæ, multæque virgines, quarum vita nullis terrenis curis & negotiis implicatur; quæ, in benedictionibus dulcedinis a Domino præventæ, propheticum illud exsequi nituntur: (c) *quæsvi vultum tuum, Domine, vultum tuum, Domine, requiram: ne avertas faciem tuam a me.* Quibus hujus argumenti tractationem non ingrati fore spero. Neque vero quisquam mirari debet, si dum perfectissimas beatissimi Francisci virtutes prædicamus, ejus vos exemplo

(a) *Levit. 3. 1.* (b) *Levit. 1. 3.* (c) *Psal. 26. 8.*

plo ad perfectioris vitæ studium adhortamur.

§. II.

Hujus autem vitæ leges & institutum brevi oratione D. Thomas (a) complexus est. Is namque duplices esse virtutes statuit: alias, quæ nos hominibus concilient, & ab omni illorum injuria contineant; quas politicas appellat: alias, quæ nos ad divinæ puritatis imitationem inducant, Deoque similes efficiant; quas purgatorias nuncupat. Ex his autem prudentiam atque temperantiam his verbis definit. Prudentia est, omnia mundana divino contemplatione despiciere, omnemque animæ cogitationem in sola divina dirigere. Temperantia vero est, omnia quæ corporis usus requirit, quatenus natura patitur, contemnere atque relinquere. In his ergo duabus virtutibus totius christianæ perfectionis summa consistit. Prius autem illud exigit, ut perfectioris vitæ studiosus has in pectore suo sententias scribat: omne tempus, quod de Deo non cogitas, reputa te perdidisse; & sicut nullum tempus est, in quo homo divinis beneficiis non utatur; ita nullum debet esse, quo ab ejus lau-

Tom. III.

(a) 1. 2. quæst. 62. artic. 5.

dibus & gratiarum actione vacet; item illud: non toties homines respirare, quoties Dei sui meminisse, debent. His igitur sententiis perfectionis cultor admonetur, ut, quantum per humanæ vitæ necessitates licuerit, se totum orationis studio, divinarumque rerum contemplationi addicat. Quia vero nos ab hoc studio, corporis cura, & humanæ vitæ negotia abducunt; proximum est, ut, quemadmodum D. Thomas ait, mundana omnia relinquentes, his tantum contenti simus, sine quibus corporis vita sustentari nullo modo potest, ceteris omnibus, quæ ad hoc minus pertinent, valere jussis.

Hanc autem philosophiam, quæ merito sanctorum scientia nuncupatur, parvulus noster Franciscus plenissime assequutus est, qui omnem vitam & ordinis sui institutum ad hæc duo munera potissimum destinavit. Quid enim aliud ejus vita, quam perpetua quædam oratio, divinarumque rerum contemplatio, exstitit? Quod aliud ejus institutum, quam omnia terrena bona contemnere, & evangelicam paupertatem amplecti, ut se totum sine ullo impedimento huic studio

H3

im-